



A

M. Antonii Aurelii numo Con- tourniato	2.
d. prima Academia villa Pla- tonis cu nova Hallensium collata	8.
Historia philos. rationalis apud Arabes et Turcas	9.
d. vita Aeterna gentium fere omnium concertus	13.
Apostolici concilii Canone	15.
Arausionensis Principatus histo- ria et fata	17.
Quod Abominabile Deo est	18.
d. abstractione	22.
d. Atheo convincendo ex artifi- cissima corporis hum. structura	26.
d. Auro obryso et argento pulsato	28.
Αποκτακταλιος Philologicu	29.
Algebra Cartesiana Calculo	35.
Aeternitatis Creaturar. repugnancia	44.
Animi indice incessu	47.

B

Begrüßung. Cöpf.	3.
--------------------------	----

C

Collapsi Hierichuntis muri	1.
d. Contourniato memo M. Aurelii Antonini	2.
d. sancte legendis philosophis	11.
Ceremonie gentis Samantand	12.
Concertu oium fere gentium de vita aeterna	13.
Canone Concilii Apostolici	15.
Ciceronis Scriptoru lectione	25.
Convincendo atheo ex structura corporis humani	26.
Cartesiana methodi regularu vindictio	33.
Calculo Algebra Cartesiana	35.
Characteribz verae falsae sapiee	36.
Propagatione Philos. sub contentu	40.
Christianis Ministris Caesarum gentilium	41.

Creaturar. eternitatis repugnan-
tia - - - - - 44.

^E
Entheorum icon - - - - - 6.
Eruditorum palinodia - - - - - 19.

^D
Quod Deo est abominabile - - 18.

^F
d. Finibus Germaniae nunquam
mutatis - - - - - 46.

G
 Gentis Samaritanae historia et cere-
 monia 12.
 Gentium fere oium de vita aeterna
 concertus 13.
 Gentiliu Cesaru Ministris Xianis. 41.
 Germania finibz numquam mutatis.
 46.

I.
 Icon entheorum ex lumine
 naturali 6.
 Inquirendi in veritatem methad. 14
 Jure zelotarū in gente Hebraea. 37.
 Incesu animi indice . . . 47.

H.
 Hierichuntis muni collapsi . . . 1.
 Londnijsse Begräbnis Josepho . . . 3.
 Hallens. Academ. cū prima Villa
 Platonis collata . . . 8.
 Historia philos. rationalis ap. Arabes
 et Turcas . . . 9.
 Historia gentis Samaritanae . . 12
 Historia Principatg Arafionensis
 17.

Legendis caute Philosophis 11.
 Lectioe scriptorū Ciceronis . . . 25.
 Libertate voluntatis . . . 34.
 ad Iusti Lipsii Polit. lib. 1. propo-
 dia politica 38.

K

M
 Muri Hierichuntis collapsi 1.
 Mausoleum in Museo 3.
 Mundi Spiritu Nietneriano 4.
 Morum otiosa scientia 7.
 Methodo in veritatem ingredi . . 14.
 Moralis Philos. limitibz suis cōscripta. 20.
 Methodi Cartesiana regularum
 indicatio 33.
 Ministris Cesarū gentiliū Christia-
 nis 41.
 Miscellanea Theses Schulhii . . 42.
 Finibz Germanie nunquam muta-
 tis 46.

*O*stiosa morum scientia 7.
 Ortu et progressu rei humanae
 ap. Germanos 16.
 d. Obryzo auro 28.
 Observat. Politica in Corr. Tacit.
 Annal. lib. 1. . . . 39.

N
 d. Numo Contourniato M. Aurelii
 Antonini 2.
 d. Nietneriano Spiritu Mundi . . 4.
 d. Numo h. Sept. Severi rarissimo. 10.
 Numanae rei ap. Germanos ortu
 et progressu 16.
 Numismatis argenti in memoria
 Palatii Salhdalensis expositio. 27.

P
 d. Poenis 5.
 Platonis villa prima academia
 cu nova Halleſin collata . . 8.
 Philos. rationalis ap. Arabes et
 Turcas historia 9.
 Philosophis caute legendis . . 11.
 Progressu rei humanae ap. Germ. 16.
 Palinodia Eruditorum 19.
 Philos. Moralis limitibus suis circu-
 scripta 20.
 Ex universa Philosophia theses
 miscellae 23.
 Pluvia prodigiosa 24.
 Pusulato argento 28.
 Αποκταντικω Philologica . . . 29.
 Possibilitatis radice 30.
 Praejudiciis 31.

1.
 5.
 7.
 14.
 20.
 3.
 1.
 2.
 3.

Pagana Sapiencia non reprobanda 32
 Pineas Zelota 37.
 Propædia Politica ad Just. Lipsii
 Politicos. lib. 1. 38.
 Politice Obser. in Corn. Taciti. An-
 naliū lib. 1. 39.
 Propagatione Philos. sub contemptu. 40.
 an Philosophia, quæ veritates
 ex lumine supernaturali infer-
 tas habere videtur, naturalis
 doctrina dici possit? 45.

Q

R
 Rationalis philosophiæ ap. Arabes
 et Turcas historia 9.
 Rarissimo numo (Sept. Severi) . . . 10.
 Rei numana ap. Germ. ortu . . . 16.
 Radice possibilitatis 30.
 Non reprobanda sapientia pagana . 32.
 Regularū methodi Cartesiana vin-
 dicatio 33.
 Repugnantia eternitatis creatura-
 rum 44.



S
 Sepulchrales urnae 3.
 Spiritu mundi Nietneriano . . . 4.
 Scientia morum otiosa 7.
 L. Sept. Severi numus rarissimus . 10.
 Samaritanae gentis historia . . . 12.
 Scriptum Ciceronis lectione . . . 25.
 Atheo convincendo ex Structura
 corporis humani 26.
 In Salhdalensis memoriam numis-
 ma argenteum 27.
 Sapientia pagana non repro-
 banda 32.
 Sapientiae verae falsae caracte-
 ribus 36.

T
 Historia philos. rationalis apud
 Turcas et Arabes 9.
 Temperantia 21.
 Theses Miscellae ex universa
 Philosophia 23.
 Triplici Algebra Cartesiana Cal-
 culo 35.
 In Corn. Taciti lib. 1. Ann. obser-
 vationes Politicae 39.
 Theses Miscellanae Schulhii . . . 42.

9.
 7.
 0.
 6.
 7.
 32.
 3.
 a.
 7.



V. U.
Urnae Sepulchrales 3.
Villa Platonis prima Academia
cū nova Hallensiu collata . . . 8.
d. Vita eterna gentium fere
omnium concertus 13.
In Veritatem inquirendi metho-
dus 14.
Voluntatis libertate 34.

7.
Pineas Zelota s. d. Jure Zelo-
tarū in gente Hebraea . . . 37.

24.
Facto Auspicio Jesu Tuente

13

DISSERTATIONEM
HISTORICO-PHYSICAM

DE

PLUVIA PRODI-
GIOSA,

Amplis. Facultate Philosophicâ, inclytæ

Lipsiensium Academiae, indulgente,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. VALENTINI ALBERTI,

Dialect. & Metaphys. P.P. Facult. Philos. Assessoris, &

Collegii B. Mariæ Virginis Collegiati, dignissimi,

longè meritissimi,

Domini Patroni, Fautoris, ac Praeceptoris sui,

omni amoris & honoris cultu prosequendi,

Publico ac placido eruditorum Virorum examini

submittit

FRIDRICH-AUGUSTUS JANUS,

Tychop. Holsatus, Magisterii Candi-

datum, A. & R.


Proprie Cal. Januarii.

Anno Ær. Chr. MDC LXVII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ.

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII,





F. A. J. T.

CAP. I.
PRÆPARATIO.

§. 1.



E in leges disputantium, ac receptam hodiè consuetudinem impingere videamur, hâc parascève, nostras ordiri Theses, volumus.

§. 2. Exhibet autem ista, pluvix prodigiôsæ Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam. Hæc enim plerique, ubi opus est, & commodè fieri potest, præmittere solent.

§. 3. Pluvia est à pluo. Hoc, à Græco πλύνω Lavo. E fundo. Madefacio. Alii deducunt à Verbo βλύω Scaturio. Mano. Profundo. Quod ab Hebræo חַבֵּי Fluvius, Aquæ ductus, Progressus aquarum, dictum volunt.

*Etymologia
pluvia.*

Becm: de Or: lingu: Lat: p. m. 396. Lex: Etym: Voss: p. 396.
Isidoro teste, pluvias dictas esse quasi fluvias, eò quod fluant, refert *Garceus p. m. 91. Comm: Job. Magir. in Phys: lib. 4. Cap. 6. p. 357.*

§. 4. Prodigium, dictum volunt à prodigo, quatenus procul ago significat; cùm, prodigiò quodam animadversò, DEUM exoremus, ut istud porrò, vel procul agat, i. e. avertat, averruncet. *Corvin: Lex: p. m. 33. Becmannus tamen in Or. Lingu. lat: p. m. 689.* à prodigo, i. e. quod ante agatur, & agat mortales in præcognitionem futuri, derivat. Licentiosius *Festo & Ciceroni, L. I. 93. de Divinatione*, à prædicendo est dictum. *Vid. Fungeri Etymolog. p. 632.*

Prodigii.

§. 5. Sumitur autem pluvia (1.) Impropiè, pro aqua Nilotica sive Nili, Nilus enim, cum in Ægypto rari admodum

*Homonymia
pluvia.*

existent imbres, pluviae vices sustinere dicitur. Vid. *Coll: Co-*
nimbr: Tract: in lib. Arist. Meteor. p. m. 60. Alst. Encycl. p. 1420.
(2.) Proprie, pro Meteoris quodam aequo. Et haec significatio;
sanò sensu accepta, est huius loci propria.

Prodigiū.

§. 6. Prodigiū etiam accipitur improprie, pro homi-
ne singularium qualitatum, inalarum ut plurimum. Sic Clodi-
us fatale prodigiū Reip. dicitur *Cic. L. P. 81. a.* Aut pro
ipsis etiam talibus qualitibus; quò sensu, in simili voce
& sensu bono, Nobiliss: Barthius, apud *Taubmannum Epi-*
gramm. l. i. p. 618.

Sub monstro induvii monstrum alit ingenii.

Nullius at vitii monstrum: Sed qualia docti

Belgae hodie & Galli, monstra parere solent.

Vel proprie, quatenus speciem portenti refert; quatenus *σημείον*,
tetra significans, est. Et ita h. l. *Id enim placet esse quiddam*
non naturalis qualitatis, quod in caelo sive aere apparens, animos
hominum insolitâ facie commoveat; Sive, ut brevius eloquar,
caeleste prodigiū. Verba sunt *B. Camerarii de portent: l. i. p. 246.*
Propriissimè loquendo pertinet ad miracula, quae vel solitariò
DEUS, vel creaturâ quomodocumque concurrente, solus facit
in hunc finem, ut nobis aliquid portendant. Hinc infra in
Cap. 3. Diabolica Phænomena, quae circa hoc Meteoron DEO
permittente, haud rarò fieri probabile est, inter vera prodigia
numerare dedignabimur. Bene enim de prodigiis *Tilemann.*
Disput: Physiolog. 25. in fin. Talia, inquit, Divinâ fieri & con-
formari virtute, aut operâ angelorum (scil: cum concursu spe-
ciali Divino & non tantum permissivè) arbitramur ad ea portenden-
da, quae solis causis & signis naturalibus portendi non poterant.

Pluvia pro-
digiose.

§. 7. Terminus quoque complexus, scilicet pluvia prodi-
giosa, nec minus sub Æquivocationem cadit. Vel enim deno-
tat Meteoron istud prodigiosum simpliciter tale, quod Divi-
num tantum est: ut, cum pluviae producuntur sine nubibus.
Alst: Encycl: p. 466. Vel, quando solutis caeli cataraetis, & effusis
aquis, mundus diluvio perit. *Garcaus p. m. 95.* Aut aliae Di-
luviorum species, sive fragmina nubis, eveniunt; qualia exempla
collegit *Majolus in Coll: suis P. 1. p. 23. Zwing. in Th. V. H. p. 544.*
Vel

Vel quando tanto impetu guttæ ruunt, ut homines interficere dicantur, quod in regione Mexicana contigisse refert *Jonstonus in Thaum: p. 122.* Vel quando contra solitum & consuetum Naturæ morem, rebus, ab aqua diversis, pluit. Et ita sumitur h. l.

§. 8. Vulgari loqvendi consuetudine, pluvix æquipolent imber & nimbus, non philosophicâ; Sic monstrum, ostentum & portentum, eandem, ac prodigium, nonnunquam obtinent significationem; juxta illud *Polyd. Vergilii de prodig: l. 1. p. 100.* *Sunt ejusdem ferme Generis (cum prodigiis) portenta, monstra, ostenta, quia portendant, monstrant, ostendunt.* Conf. *Cic. L. 1. de Div. 93.* Licet accurate loqvendo, multum ab invicem significatione, Philologis & Criticis distare dicantur.

*Synonymia.
Pluvie.
Prodigii.*

§. 9. Pluvia prodigiosa aliquibus dicitur pluvia animata; aliquibus præternaturalis. Sed illa angustior, hæc latior est, ut neutra præcisè prodigiosam, prout hîc sumitur, adæqvæt; ceu ex dicendis patebit.

Pluvia prodigiosa.

§. 10. His præmissis, subjungitur huic capiti

CAP. II.

TRACTATIO HISTORICA.

§. 1. Duæ hujus tractationis erunt partes, quarum altera in Exemplis hujus pluvix, altera in sententiis Autorum recensendis, occupabitur.

§. 2. Exempla ordinamus, juxta seriem corporum Naturalium, ita quidem, ut ab animalibus incipiamus, & ab his ad viventia & tandem non-viventia progrediamur. Illa enim, cum majori admiratione fiant, jure meritoque his præponuntur. Ex pluribus autem in singulis classibus, nonnulla seligemus, quæ, vel ob auctoritatem Scriptorum, fidem præ aliis merebuntur, vel etiam ob raritatem, aliasque circumstantias, observationem. Ubi hoc quoque monendum est, in hac parte, tanquam Historicâ, nos cum Historicis esse locuturos, qui vocibus sæpè in hoc argumento, laxiùs utuntur, ut v. g. id, quod lac aut sanguis, secundùm apparentiam magis, quam rei veritatem, est, absolute lac aut sanguinem appellent. Infra verò, Cap. 3. Philosophicè Sententiam nostram, sumus elocuturi.

PARS I.

A 3

§. 3. In



1. Animalia.

(a) Eorum
Partes.

Pluit san-
gvine.

§. 3. In classe animalium, quædam exempla de integris animalibus, quædam de partibus eorum occurrunt. De partibus primùm.

§. 4. Sic Romæ in fore Boario sanguine pluiffè, testatur *Livius lib: 24. Cap. 10. p. m. 522.* It: sanguine per biduum pluit, in area Vulcani. *Id: lib: 39. Cap. 6. p. m. 105.* It: *Plinius lib: 2. Hist: Animal: Cap: 56. p. 18.* Relatum, inquit, in monumenta est, lacte & sanguine pluiffè, M. Acilio C. Porcio Coss.

§. 5. Ad annum C. 782. Sanguinem pluit, qui etiam è terra fluxisse dicitur. *Wolf: in Memor: p. 203.* A. C. 787. Sanguinem, cum de coelo pluiffè, tum è terra fluxisse, ex *Sigeberto refert Wolf: l. c. p. 204.* *Platina in Hadriano II. Pontifice p. m. 41.* tradit, apud Brixiam, ante ejus Pontificis mortem, A. 872. tribus diebus sanguine pluiffè. Circa annum 873, in Italia, in civitate Bressa, integri tridui spatio, continuè sanguine pluit. *Wolf. p. 291.* Ad eundem quoque modum, apud Persas sanguinem pluiffè, refert *id. p. 326.*

§. 6. Apud Britones in Gallia, in oppido Rocello, pluiffè sanguinem A. D. 1163. memorat *Rob: de Monte*, ejus temporis autor; *ap. Maj. P. I. Coll. p. 28.*

§. 7. Romæ A. 1456. pluit sanguinem ad portam Veneris, uti refert *Bonfin. Decad. 3. lib: 8.* & *Palmerius in Callisto III.* quos hac in re citat *Simon Majolus c. l.*

§. 8. *Surius in Commentario* scribit, in Diœcesi Monasteriensi, A. 1543 ad castrum Salsenburg, haud procul à Barendorp sanguine pluiffè. *Majol. l. c.*

§. 9. Sic teste *Gemma Frisio lib. 2. Cosmocrit. Cap. 2.* sanguine pluit in Westphalia A. 1543. In Borussia A. 1560. apud *Thuanum L. 27. p. 557.* & Lovanii A. 1568. ipso die Pentecostes. In Norico juxta Donaverdam A. 1569. circiter quintam horam vespertinam, ad quadrantem horæ, IV. Non: Sext: sanguine pluiffè, narratum fuit, qui in folia & hominum vestimenta guttulis impressis, in varia loca transmissus est. *Thuanus lib: 45. p. m. 935.* In Emdensi quoque ditone, apud Frisios Orientales A. 1571, quâdam nocte, tanta copiâ sanguine pluit, ut ad quinque vel sex miliarium spatium, herbæ & vestes, expositæ in apricum,
ex

ex alio colore penitus in purpureum sint mutata. Vide *Schotti Phys: Cur. p. 1506. Et From: Meteor: lib: 5. cap: 6. Art: 3. p. 399.*

§. 10. A. C. 1642 Stargardiæ, quæ Metropolis & sedes est Ducis Wirtenbergici bis sanguine pluit. A. C. 1643 Sanguine pluit Weinspergæ, propè Heilbrunnam, adeò copiosè, ut per canales defluerit. Accidit id circa Kal. Febr. Prope Stadam, quinto ab Hamburgo milliari, simile quid visum. *M. Martinus Heinsius in Diss. de hoc argumento Francof. Anno 1643. habita.*

§. 11. A. C. 1557. Schlagis Pomerianæ pluit sanguine, ubi frustra, exæquantia magnitudine pugnum, mixtim decedebant, habentia vultus humanos. Et hic cruentus imber, per quinque jugera agrorum se extendit. Ex Hondorpio, *Wolf: in Mem: Tom. II. p. 752.*

*Pluit frustra
Sanguinis,
referentia
vultus hu-
manos.*

§. 12. A. C. 640 Crucis figuras in vestibus visas esse, cruentumque cecidisse imbrem, meminit *Wolf. Tom. I. p. 189.* De rore, cœlitus delapsò, tempore Constantii Imperatoris, quo vestes signaculo crucis signatæ sunt, vide *Sozomenum lib: 5. Cap. 1. p. m. 622.*

*Pluit cruci-
bus sangui-
neis.*

§. 13. Similiter de crucibus Germanicis & Belgicis, quæ A. 1501. passim depluerunt in vestes, mentionem facit *Fromondus lib: 5. Meteor. cap. 6. art: 3.* In Svevia A. 1534 aër inficiebat vestes cruce rubra. *Cardanus lib: 16. Subtil: p. m. 569.*

§. 14. Hæc sufficiant pluvie sanguineæ exempla; Subsequantur carneæ. Pluit autem carne sæpius, teste *Plin. l. c. in §. 4.*

§. 15. Præter *Plinium d. l. Liv: lib. 3. Cap. 10. p. m. 99.* asserit *Volumnio & Ser: Sulpitio Coss.* carne pluuisse. Imbrem autem istum, ingentem numerum avium intervolitando rapuisse; quod intercidit, sparsum ita jacuisse, per aliquot dies, ut nec odor mutatus sit.

Pluit carne.

§. 16. In Liguria carnes depluisse, *Callisto III. Papa,* traditur à *Bonfin: Decad. 3. lib: 8.*

§. 17. Præterea lacte quondam pluuisse, traditur à *Liv: lib: 27. Cap. 13. p. m. 636.* Vid. quoque testimonium *Plin. §. 4.*

Pluit lacte.

§. 18. Lana etiam pluit, circa castellum Carissanum, juxta quod, post annum Titus Annius Milo occisus est. *Plin. lib. 2. Hist. Nat. Cap. 56. p. m. 18.*

Pluit lana.

§. 19. La-

§. 19. Lanam pluiffe apud Atrebatum, Valentiniano Imperatore, qua ditescerent incolæ, refert ex Paulo Diac: lib. II. Freculf. lib. 2. Cap. 13. Vinc: hist: lib: 14. cap. 50. *Simon Majol. T. 1. Canic: Colloq. p. 27.*

§. 20. Ad eundem modum Lanâ, in hisce quoque regionibus, hoc quidem seculo, & integris ante paucos annos filis pluiffe, testabantur novellæ, mirabatur vulgus.

(b) *Integra animalia.*
Pluit vitulo. §. 21. Magna hæc: Sed non minor in integris animalibus raritas. Animalibus enim, non secus ac partibus eorundem, pluiffe, omnium Historicorum volumina Exemplis plena sunt.

§. 22. Vitulum aliquando cum pluvia delapsum esse, multi, inter quos *Albertus Magnus, ex Avicenna* referunt. *Dan. Sennertus Epit: lib. 4. Cap. 6. p. m. 26.*

Coturnicibus.
§. 23. Quod quidem, uti fortè fabulosum, ita certissima coturnicum pluvia, vento, ad sedandam Israëlitici populi appetentiam, agitata. *Num. 11. 18. & seqq.*

Piscibus.
§. 24. Piscium quoque pluvia, apud Athenæum in lib. 8. *Deipnos. p. 333.* Ita enim ille *ex vers. Dalech. Multis quoque in locis DEUM pluiffe piscibus, non ignoro. Phanas igitur lib. 2. de iis, qui apud Eressios πρὸ Γαυῆς fuerunt, tradit in Chersoneso piscium imbrem toto triduo cecidisse; Etc.*

§. 25. *Albertus Kyperus T. 2. Institut: Phys: l. XI. C. 2. n. 3. §. 3. p. 186.* ex propria experientia: *Ego, inquit, certò compertum habeo, piscibus aliquando copiosè pluiffe, non procul à Regiomonte in Prussia, ita, ut via quoque, & prata piscibus fuerint repleta, & ipse ex piscibus illis comedi, unà cum parentibus meis.*

Pluit ranis.
§. 26. Ad eundem modum ranas depluere, sexcentis, si sit otium, probare possem Exemplis. In Pœonia & Dardania olim ranis ita pluit, ut præ multitudine illarum & foetore, novas sedes incolæ, fuerint coacti quærere. *Athenaus lib: 8. Dipnos. p. 333.*

§. 27. Eos, quos Autariatas vocant, ranæ, è nubibus, pro guttis aquæ, in terram delapsæ, adegerunt, ut, relictâ patriâ, ad eam, in quâ nunc quoque resident, oram, confugerint. *Diodorus Sic. lib. 3. p. 164. edit. Rhodom.*

§. 28. Ocu-

§. 28. Oculatus pluvix ranarum testis Ælianus, lib. 2. cap. 56. Memini etiam ego, ait, in itinere ex Neapoli Italica Dicæarchiam versus, ranis pluiffe: quarum anterior pars, binis innixa pedibus, repebat, posterior adhuc informis & tanquam è cœno humido trahebatur.

§. 29. Huic consentiens Scal. in Exerc: 191. p. 624. Nonne ranis, inquit, pluere vidimus nos? Quas qui è lacunis à nubibus haustas arbitrantur, non videre, quod vidimus nos, complutam terram solâ aquâ sine ranis, gyrinulis tamen post semihoram scatere totam. Est in Santonibus oppidum Mirambellum, cujus via & angiportus, ranarum (alii bufones fuisse dicunt) pluvia, tam referri fuerunt, ut primum horror perculserit oppidanos: Deinde stupor ceperit: tum fastidium ex illuvie: postremo lues ex odore malo putrefactarum. Idem refert Schottus in Phys: Cur: p. 1507. From. in Meteo: Cap. 6. lib. 5. art. 3. p. 403.

§. 30. Johannes Maria Gignochius, Doctor Pataviensis, apud From: lib. 5. Meteor. Cap. 6. art. 4. p. 403. testatur, se, mense Julio, aquæ cœlestis guttam, pulveri illapsam, vidisse, quæ ilicò in ranæ formam se induerit.

§. 31. Fallopius lib: de Fossilib. cap. 9. vidisse se, asserit, decidisse guttas aquæ magnas in pulverem, & statim prodisse plures ranunculos. Ex From: lib. 5. cap. 6. art: 4. p. 403.

§. 32. Cabaus vidit in agro Ferrariensi, cadentibus, è cœlo maximis guttis in arentem pulverem, ranas, quæ omnes ejusdem magnitudinis, exiguæ scilicet, coloris autem subnigri; In vertice autem & indumento, ut & in reliqua terra, nil nisi guttulæ apparebant. Quod ipsum Schottum Jesuitam in itinere observasse, testatur ipse in Phys. Cur. p. 1512.

§. 33. Ipse Fromondus l. c. in §. 31. testatur, ad portas Tornacenses, deciduo in aridissimum pulverem repentino imbri, tantum subito ranunculorum, per siccum saltantium, extitisse exercitum, ut undiqve nihil penè aliud cerneretur.

§. 34. In Amelandia, quæ ranam nullam patitur, ranis pluiffe, ex Præceptore suo CL. D. Menclao Vinsenio Med. D. in alma Frisiorum Professore refert Jonston. in Thavm. Class. 3. Cap. 8. p. 123. Ex eo Schot. in Phys. Cur. p. 1507.

B

§. 35. Ab

Pluit muribus.

§. 35. Ab *Æliano lib. 6. de Animal. cap. 40.* mutuatus *Jonst. in Thaum. p. 123.* Primum, ut in *Ægypto* plueret per parvulis guttis, mures nasci solere, qui longè lateq̄, totis arvis vagantes, maximâ calamitate ex spicarum circumrosione & succisione, segetes afficerent.

§. 36. In *Thebaide*, cum grandine pluit, mures in terra apparere dicuntur, qui partim cœnosus existunt limus, partim carnis possident substantiam. *Ælianus lib. 2. cap. 56.*

Pluit Lemmer.

§. 37. Maximè quoque notandum, modo non sit fabulosum, quod *Olaus lib. 13. Ziglerus in Norwegia de Septentrionalibus*; Et ex illis *Scaliger Exerc. 192. Sect. 3. p. 626.* Lemner bestiola, inquit, quadrupedes, Soricis magnitudine, pelle variâ, per tempestates & imbres decidunt; incompertum an ex remotioribus Insulis, an ex nubibus fœculentis. Statim atq; deciderint, reperiuntur in eorum visceribus herba cruda, nondum concoctæ. Hæ, more locustarum, depascunt omnia virentia. Vivit hæc pestis, donec non gustaverit herbam renatam. Conveniunt gregatim, quasi hirundines, evoluturæ; stato tempore aut ab aliis bestiolis Lemmer consumuntur, aut moriuntur: Corruptis aër inficitur lues. Unde vertigine & regio morbo incolæ corripuntur. *Jonst. Thaum. p. 123. Schot. in Phys. Cur. p. 797.*

Pluit erucis.

§. 38. In *Velauniis* tantum erucarum, unâ nocte decidit è cœlo, ut eas, in domo reptantes, biduo toto, accensâ paleâ, urere necessum fuerit, vix ad id sufficiente, hominum mulierumve turbâ. *Dalechamp. ad lib. 2. Plin. c. 56. Ex eo Jonston, in Thaum. p. 123. Schot. in Phys. Cur. p. 1507.*

§. 39. Ab animalibus tandem devenimus, ad alias quoque res, quas unâ cum pluvia, decidisse memorant.

Pluit margaritis.

§. 40. Cum autem margaritæ ad animalia, tanquam concharum velut nuclei aut partus, accedere videantur, primum & hîc merito obtinent locum. Iis autem de cœlo A. 1532. pluuisse, ex Magni *Meyfni Rhodiensis Epistola*, refert *Wolf. in Mem. T. 2. p. 393.*

2. Vegetabilia.

*Pluit anno-
vâ.*

§. 41. Nunc sequuntur vegetabilia. In *Asbanio* in *Gallia* pluuisse annonam, frumentum ac pisciculos A. D. 989. memorant *Wernerus in fasciculo in Otthone. Segebertus ille vetustior. Vinc. hist. lib. 24. cap. 97. & Palmerius; ap. Maj. T. 1. p. 27.*

§. 42. Fru-

§. 42. Frumentum quoque & hordeum, cum leguminibus, caelo per pluviam cecidisse in Campania, tradit *Vinc. Hist. lib. 23. cap. 148. lb.*

§. 43. Cum Germanis, Romanas provincias vexantibus, Probus Imp. resisteret, bello diutius durante, ex penuria com-
meatus periclitatus est: Fertur autem, maximo imbri in castra
ejus delato, multum quoque frumenti depluisse. *Zonaras
Tom. 2. Annal.*

§. 44. Annonam in Carinthia, X Kal. Aprilis, horarum
duarum spatio, ad duo amplius milliaria, ex qua panis pinse-
batur, decidisse, annotavit *Thuanus lib. 5. de Anno 1548 p. 110.* Ex
eo *Jonst. in Thaum. p. 122. Schottus in Phys. Cur. p. 1508.*

§. 45. A. C. 787 in Episcopatus Frisingensis Dicecesi, mul-
tifaria pluit ligna, etiam sereno & defecato caelo. *Wolf. Mem. T. 1.
pag. 204.* Imò sagittis aliquando Romæ pluuisse, tradit *Jo. Diac.
in vita Greg. M. l. 1. c. 37.*

§. 46. In insula Pelagia, aurum; in Lucania ferrum pluuisse, ante bellum Parthicum, refert ex *Ammiano lib. 17. Jonst. in Thaum. p. 122.*

§. 47. Argenteam pluviam, sub Imperatore Severo, Romæ in forum Augusti defluxisse, scribit ex *Dion. Schottus Phys. Cur. p. 1508.*

§. 48. In Perside cecidisse corpora ænea, eaque sagittis ha-
matis similia, & prope Lurgeam, massam quinquaginta libra-
rum, testatur ex *Avicenna Georgius Agricola lib. 5. de ortu sub-
terræ.* Eam centum librarum fuisse, ex eaque postea præstan-
tissimos fabricatos esse gladios, scribit *Garceus in Meteor. p. m. 96.*

§. 49. A. C. 1643 In Hungaria Budæ, stanno & plumbo pluit, quod purpurato, quem Bassam vocant, patinis exceptum, miles turcicus, proposuit.

§. 50. Ferro in Lucanis, Anno ante quam M. Crassus à Parthis interemptus est, depluisse, memoriæ proditum est, à *Plin. lib. 2. Histor. Nat. c. 56. p. m. 18.*

§. 51. In Sylvis Neuholem ferream massam, recremento similem, ex aëre decidisse, eamque multorum pondo, adeo, ut nec deportari propter gravitatem, nec curru devehì propter in-
via potuerit, tradunt. *Agric. Obs. Metall. c. 8. Jonst. Thaum. p. 125.*

Pluit lapidi-
bus.

§. 52. Sacra pagina docet: Dominum, quinque Regibus Amorrhæorum congregatis adversus Josuam, misisse super eos lapides magnos de cælo, & mortuos esse multò plures, lapidibus, quam quos gladio percusserant filii Israël. *Jos. 10. 11.*

§. 53. Lapidibus præterea pluere, passim scriptum legimus. *Plin. l. c. cap. 57.* ait, decidisse lapidem magnitudine vehis, in Thraciæ parte in Ægos flumen. Idq; sub initium belli Peloponesiaci, quod inter sese gesserunt Græciæ civitates, contigisse vult *Plutarchus in Vita Lysandri p. m. 188.*

§. 54. Lapidibus pluuisse annotavit *Livius lib. 1. Cap. 21. p. m. 24.* his verbis: Nunciatum Regi, patribusque est, in monte Albano lapidibus pluuisse. Quod, ad id visendum prodigium missi, attestati sunt. Ad Sinuessam lapidibus pluit, uti docet *id. lib. 23. cap. 31. p. m. 502.* Ereti lapidibus pluit. *Id. lib. 26. cap. 23.* Cumis pluit lapideo imbri. *id. lib. 30. Cap. 38. p. m. 766.* In Picano lapides pluit. *Id. lib. 21. cap. 62. p. m. 436.* In Albano monte biduo continenter lapidibus pluit. *Id. lib. 25. Cap. 7. p. m. 555.* Ariciæ, Lanuvii, & in Aventino lapidibus pluit. *Id. lib. 35. cap. 59. p. m. 887.* &c. *Orosius* septem dies pluuisse lapides, memorat *lib. 5. cap. 18. p. m. 205.* *Majolus in Coll. P. 1. p. 25.*

§. 55. Platina in *Johanne XIII. p. m. 152.* scribit, sæviente ventorum & imbrium procella, lapidem miræ magnitudinis è cælo cecidisse in Italia. A. C. 963. *Schottus Phys. Cur. p. 1509.* *Wolf. in Mem. T. 1. p. 265.*

§. 56. A. C. 1493. Sub Maximiliano Imperatore, ingens lapis, specie ac forma Δ Græcæ literæ in Ensheym decidit oppido Alfatæ: qui hodie in æde sacra ibi custoditur, à Sebastiano Ticione scriptis celebratus *Wolf. T. 1. Mem. p. 911.*

§. 57. A. C. 1496. lapides gallinaceis ovis magnitudine pari, exactâ Divæ Margaritæ solennitate, juxta oppidum Münckperge, pluit: & quod valdè auget admirationem, visebantur in eis hominum vultus & Diademata. *Linturius ad fasciculum Anno 1496.* Ex eo *Jonst. p. 122.* A. 1509. *Surio* teste, ceciderunt è cælo lapides, ovi gallinacei magnitudine.

§. 58. Vidimus A. 1510, inquit *Cardanus lib. 14. Variet. cap. 7.* cum cecidissent è cælo lapides circiter 1200, in agrum fluvio Abduæ conterminum, ex his unum 120 pondo: alium 60.
Delati

Delati fuerunt ad Regis Gallorum Satrapas pro miraculo plu-
rimi. Color ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus. Præ-
cesserat in cælo ignis ingens hora tertia. Decidentium lapidum
strepitus hora quinta exauditus, ut mirum sit, tantam molem
horis duabus in aëre sustineri potuisse. *Maj. in Coll. T. 1. p. m.*
26. From. in Met. lib. 5. cap. 6. art. 3. p. m. 401.

§. 59. *Modognotus in Vita Aurelii Imp. lib. 1. cap. 25.* testa-
tur, Constantinopoli, sub Valentiniano Imp. adeo lapidibus
pluisse, ut jumenta campestria, ferè omnia fuerint extincta, at-
que civium non pauci interierint. *Schottus in Phys. Cur. p. 1509.*

§. 60. Heinrico Imperatore Ænobarbi Filio Siciliam occu-
pante, in Italia lapidibus pluisse, tradit *Bonsinius Decad. 2.*
lib. 7.

§. 61. In Menco, (urbs insignis est Japonica,) A. D. 1577.
Regulus quidam, Ethnico ritu, Dæmoniacam celebrabat
festivitatem, in qua plurimum, publicèque, Christianæ fidei, Sa-
tanico ore, detrahebat. Mirum è sereno cælo Saxorum crepitan-
tium pluvia decidere visa & audita est, qua omnis illa idolo-
latrarum multitudo, quæ ad viginti millia numerabatur, dilapsa
est, neque eadem unus permansit eo loci; adeò illa vis ange-
lica Christiani nominis tuendi causa, insanientium cordibus,
metum incusserat. Recolit qui spectator fuit *Organtinus Jesuita.*

§. 62. Non prætermittendæ pluvie ignitorum lapillorum. *Pluit lapillis*
Præneste ardentibus lapides cælo cecidèrunt. teste *Liv. lib. 22. cap. 1. p. m. 439.* *ignitis.*

§. 63. Hannibale irruente cum exercitu in Italiam, pluit
lapidibus ignitis & ardentibus, ut meminit *Plutarchus in Vita*
Fabii Maximi p. m. 87.

§. 64. In Marchia quoque Brandeburgensi ad oppidum
Vredeland, ipsa S. Remigii die, lapilli igniti, frequentes
velut grando decedentes, campestria omnia vastârunt, A. D.
1304. *Krantzius Sax. lib. 8. cap. 37. Vand. lib. 7. c. 46. Ex his Wolf.*
T. 1. in Mem: p. m. 598.

§. 65. Tito Annio Milone, causam dicente, lateribus *Pluit lateri-*
coctis pluisse, in ejus anni acta relatum est, quod exprimit *bus coctis.*
Plinius lib. 2. Hist. Nat: cap. 56. p. m. 18.

Pluit cinere. §. 66. Cinerem, tempore Leonis, qui palmæ minoris altitudine in tegulis jacuit, Constantinopoli pluuisse, narrat *Nicephorus lib. 15. cap. 20. p. 805.* *Schottus in Phys. Cur. p. 1508.* *Jonst. Thaum. p. 122.*

§. 67. In Attica terra cinere pluit, anno uno, antequam L. Syllæ arma, ingens Atheniensibus exitium importassent, uti ex Pausania in Bœoticis refert *Zwing. in Teatro V. H. p. m. 1486.*

Pluit creta. §. 68. Calibus creta pluuisse, scribit *Liv. lib. 24. cap. 10. p. m. 522.*

Pluit lutea terra. §. 69. Georgius Agricola, Cernicium luteam terram, cum aqua pluuisse, refert. *Meur: in Meteor: p. 469.*

Pluit guttulis igneis. §. 70. A. C. 786. guttula ignea nigra ceciderunt in homines, ex quarum casu quis, si nudus erat, confestim moriebatur, qui verò vestibus excipiebat, non tam citò moriebatur, vix tamen effugiebat. *Wolf. in Mem: p. 204.*

Pluit sulphure. §. 71. Neminem tandem fugiet illa pluvia, quæ sulphure & igne abundans, Sodomam & Gomorrham delevit, de qua vide *Gen. 19. 24.* & Commentatores.

Pluit Manna. §. 72. Omnium tamen hujus ordinis pluviarum, mirabilissima fuit illa, quæ Manna in deserto, quotidiana Israëlitiçi populi esca, pluerat. *Exod. 16. 14.*

PARS II. §. 72. Atque hæc sit prima pars historica, Exemplorum: Nunc alteram subjungimus, sententias variorum Autorum exponentem. Æquum enim est, ut, antequam iudicium nostrum aperiamus, annectamus Exemplis, quæ vetus æquè ac recens historia nobis suppeditavit, varias aliorum opiniones, unde ista & quo Autore veniat.

Tres sententiarum classes. §. 74. Referunt autem eam, vel ad Causam Supernaturalem, Vel Præternaturalem: Vel Naturalem.

Prima. §. 75. Qui Causam Supernaturalem amplectuntur, DEUM pluvie prodigiosæ Autorem esse, propugnant. Et hoc plerumque imperita hominum multitudo facere solet, cui, si quid contingit, quod usitatum Naturæ cursum excedit, & à communi regula abire videtur, nulla, nisi ad DEUM, tanquam Causam

fam universalissimam, via patet. Calculo tamen Virorum etiam Doctorum adjuvatur; ceu mox dicetur in §. 78.

§. 76. Præternaturalem alii causam ejusmodi pluviarum faciunt Diabolum, inter quos credula plebs, denuò primas tenet, dum putat simpliciter citra examen circumstantiarum, Diabolum per talia ludere, vel lædere Genus humanum. *Secunda.*

§. 77. Confirmatur tamen Doctorum quoque Virorum opinionibus. *Keckermannus in Syst. Phys. lib. 6. cap. 4. p. m. 665.* hanc sententiam Luthero quoque adscribit, ubi *Lutherum*, ait, *commentario super caput Geneseos statuisset, omnia Meteora, præter Iridem & Cometam, insidiosa & Diabolica spectra esse.* Sed caput allegare debuisset, si bonâ fide agere voluisset. Sic enim indefinite, (*caput Geneseos*) allegatum esse observavimus in tribus diversis editionibus. Respicit autem procul dubio ad *Comment: c. 9. in Gen. f. 118.* ubi sententiam suam de causis Iridis, cometæ, aliorumque quorundam meteororum Megalander noster dicit. Sed ibi attendendum est contra Keckermannum (1) quod in propositione sua disjunctiva (omnes impresiones esse opera DEI vel Dæmonum) Lutherus quidem expressè Iridem tantum ac Cometam h. l. ad Deum referat; simpliciter tamen omnia reliqua Meteora, pro insidiosis & Diabolicis spectris non habeat. De aliquibus enim tantum loquitur: *Sicut ego, inquit, non dubito, saltantes capras, volantes Dracones, lanceas & similia esse Effectus malorum spirituum in aëre sic ludentium, ut aut terreant, aut decipiant homines.* (2) Non tam de causis Naturalibus, quam de certa earum cognitione dubitat: Sic enim *clare cit. fol. Cogitationes, inquit, & speculationes Naturales debis rebus non prorsus contemno. Sed quia Demonstrationes non sunt solidæ, non nimium eis fido.*

§. 78. Utrique causæ, tam supernaturali, quam præternaturali, favet *Dan. Sennert. lib. 4. Epitom. cap. 6. p. m. 26.* ubi plerasque prodigiosas pluvias, DEO de futuris malis homines commonefacienti; & quasdam hujus Generis, Diabolo, uni omnium hosti, ejusmodi prodigiis, homines in superstitiones & errores deducere conanti, assignat.

§. 79. Wolff-



§. 79. *Wolfgang Meurerus in Meteor. p. m. 464.* ait, pluviae prodigiosae causam vix reddi posse aliam, quam quod vel divinitus ad praemonendum, vel per ludibria Daemonum ad terrenum & fallendum, hominibus obijciatur.

§. 80. Atque haec sentientibus, pluvia prodigiosa, neque raro contingens, proprie, neque meteorum, sed prodigium est, verum quidem quando DEUM pro causa habet, & apparens, quando Diabolum.

*Subdivisio
Tertia.
Prima Ne-
gativa du-
plex.*

§. 81. Qui ad causas naturales respiciunt, iterum non unum omnes sentiunt ac probant. Alii enim istam esse Meteorum affirmant; alii negant.

§. 82. Qui pro negativa stant, itidem opinionibus ab invicem discrepant. Vel enim inficiantur, id, quod nomine rei prodigiosae venit, decidisse ex aere; Vel in eo generatum esse, negant. Utrumque enim ad Meteora aequa conjunctim requiritur, quod illi negant; scilicet ut in aliqua aeris regione, tanquam utero suo concipiantur, ac generentur, & deinceps ad nos in terram defluant.

*(a) Negat
res prodigi-
osus cadere
ex aere.*

§. 83. Prioris sententiae Patroni putant res, pluviam prodigiosam, aut ejus potius speciem, exhibentes, generari in terris, post solummodo visui nostro exponi, pluviaeque natales communemque patriam mentiri.

§. 84. Rem declarabimus Exemplis. Pluvia, quam vocant, sanguinea, vulgo semper pro prodigiosa habita fuit, nec ante hoc seculum nostrum inventus est, qui illam, licet suspecta fuerit eruditis, decidisse & Meteorum esse, negare fuerit ausus.

§. 85. Sub initium tamen hujus seculi, *Nicolaus Claudius Fabritius de Peiresc,* (*Gallus, senator Aevi Sextiensis, alter eruditorum Mecenas, & quem judicio celeberrimi Salmasii praef. in Tabul. Ceбетis Arabicam, vel nominare, laudare est,*) nullus dubitavit, ejusmodi pluviam, omni Meteororum & pluviarum regione excludere. Experimentum enim ipse compererat, guttulas istas, quas pluviae haecenus assignare consueverant, non decidisse, sed aliam sui agnoscere causam; in cuius cognitionem hunc in modum venerat, uti refert *Petrus Gassendus, Philos. & Mathes. Professor Parisiensis, de vita Peireskii lib. 2. p. m. 154. 155.*

155. 156. Anno post salutem hominibus restitutam 1608. percre-
buit rumor, decidisse, sub Julii mensis initium, pluviam prodi-
giosam, conspicuis nempe maximis guttis, tam in ipsa urbe ad pa-
rietes cœmiterii, Majoris Ecclesie, quod est propè muros, quàm
ad muros ipsos: Pari quoq; modo, ad villarum, pagorum, oppida-
rumq; parietes. Quare commotus Peirescius, cum singulari re-
rum abstrusarum cognitione flagraret, festinavit, quo ipse gut-
tas, quibus lapides rubescere dicebantur, contemplaretur, nihil-
que non egit, ut alloqui posset, quos agricolas memorabant,
ultra Lambiscum, sic fuisse percussos, ex decidente pluvia, derelictis
operis in vicinas ades uti confugissent. Deinde, cum fabulam esse,
quod de Viris hujusmodi proditum fuerat, comperisset, non pla-
cuit illi, quod Physici referrent, hujusmodi pluviam, ad vapores è
rubrà terrâ sublimè evectos, & per concretionem deciduos: quippe
vi caloris eductum vaporem absq; colore sursum ferri, ut vel con-
stare potest ex eo, qui, eductus ex rosis rubeis, in limpidam aquam
concrevit. Minus etiam placuit, quod vulgus ac nonnulli Theolo-
gorum opinarentur, facinus esse Demonum strigumve, à quibus
fuissent interfecti infanti; Scilicet hoc esse meram conjecturam,
fortassisq; etiam DEI bonitati providentiæq; injurium. Succurrit
porro intereà casus, ex quo sibi visus est germanam causam de-
texisse. Quippe ante aliquot menses, concluderat pyxide inventam
quandam Chrysalin, magnitudine formâq; insignem. Ejus cum
amplius non meminisset, excitari bombum inaudit intra pyxidem,
eâq; adaperat, deprehendit Chrysalin, deposito spolio, factam ex
eruca papilionem pulcherrimum, qui statim avolaverit, relique-
ritq; in fundo guttam rubeam, amplitudine solidi vulgaris. Quo-
niam verò id contigit, circiter idem mensis initium, ac per idem
tempus observata est, Papilionum, confertim per aërem transvo-
lantium incredibilis multitudo, idcirco opinatus est, papiliones
hujusmodi, interquiescentes parietibus diffudisse illic, quasi excre-
mentum, guttas similes, magnitudine videlicet pares. Quare ite-
ratò accessit, comprobavitq; guttas illas, non supra edificia, non in
convexis lapidum superficiebus extare, uti debuerat contingere, si è
caelo sanguine, pluisset, sed in subcavis potius ac in foraminibus,
ubi animalcula potuerant quasi nidulari. Accessit quod parietes

G

iis

is tangebantur, non qui in medijs oppidis, sed qui agrorum vicini erant; Neq; secundum partes elatiores, sed ad mediocrem solum altitudinem, quantum volitare papiliones solent. Hac ratione proinde est interpretatus, quod Gregorius Turonensis refert, de pluvia sanguinea, Childeberti tempore conspecta Parisiis, in diversis partibus, & in domo quâdam territorii Sylvaneensis. Itemq; quod memoratur, temporibus Regis Roberti, sanguine pluisse, circiter finem Junii: adeo, ut sanguis, qui cecidisset super carnem, vestem, lapidemve, non posset aqua elui, posset verò qui super lignum. Quippe idem fuit Papilionum tempus, & recentes quoq; has guttas elui non posse ullâ aquâ è lapidibus, compertum est. Hac & similia, cum apud Varium, magnâ coronâ edisseruisset, placuit simul rem explorare, contigitq; ut, cum variè per agros incederent, guttas quoq; multas deprehenderint in lapidibus rupibusq; sed ad cavas tamen, subvexasve, non verò cælo obversas partes.

§ 86. Sic de pluvia sanguinea Illustris Peirescius. Quod si verò per talem Naturæ fallaciam, pluvia sanguinea fingeretur, eadem sanè facilitate lactea etiam pluvia ad similem Naturæ lusum referri posset. Res enim plures propè nos consistunt, quæ candido quòdam, & quasi lacteo humore, pluviam tingere de facili possunt.

§. 87. Crucibus sanguineis pluisse, ex eo arbitrantur, quod pulvis admodum aridus, & præcipuè rubicundus, vestibis iisdem inhæserit, qui postea in crucis figuram, per diluentes guttas, fuerit deductus, idque ob fila, quæ crucis formam, dum texuntur, referunt. *Cardanus lib. 19. Subt. p. m. 569.*

§. 88. De ranarum pluviis, hoc faciunt judicium; Plerasque quæ cælo decidisse putantur, è latebris ad dulcedinem cœlestis humoris profilire. Nam aliàs omnes exanimes & semivivas aspiceremus, inveniunt, tectis sanè, aut terræ illis, ex tam alto loco. *From. lib. 5. cap. 6. art. 4. p. m. 402. Jonst. Thaum. p. 123.*

§. 89. Alii de ranis idem, quod de carne & muribus pronunciant. Dicunt namque, res, quæ ad pluviam prodigiosam requiruntur, generari in terra, quæ ad earum procreationem præparetur tam celeriter, ut ex alto labi videantur. *Berigardus in Cir.*

Circulo Pisano ad Meteor. lib. Arist. p. m. 578. Hanc quoque sententiam affert *From. p. 403.* Addit tamen, non ex omni pulvere arido; sed certo tantum, formari ranunculos; formari mures.

§. 90. Metalla autem cum lapidibus, per pluviam detegi, cum antea luto, terraque tecta latuerint, existimant. Atque hæc sententibus, res, pluviam prodigiosam faciens, non prodigium, non meteorum, sed raro contingens minimum ratione temporis, est.

§. 91. Qui posteriorem sententiam sequuntur, res pluviae (β) Negat prodigiosæ decidere quidem ex aëre, sed non in eodem generari, fieri in aëre. credunt. Itaque omne, quod depluit, aut Solis, stellarumque & nubium singularibus attrahendi viribus, aut ventorum vehementiæ, adscribunt.

§. 92. Inde *Majolus in Coll. P. 1. p. m. 29.* Nubes, ait, res pluviae prodigiosæ ferè omnes, è terra trahunt, tracta retinent aliquandiu, postea impellunt quaquaversus.

§. 93. Hi itaque, ut denuò ad præcipuas descendamus species, lactis pluviam intensissimo Solis ardori, ex uberibus pecudum lac extrahenti, uti *Garcæus p. 94.* adscribunt, Si verò hæc lacteæ, cur non etiam sanguineæ pluviae generatio esset?

§. 94. De lanæ pluviae plerique sic judicant: Flatu ventorum ab arboribus passim abrumpi aranearum telas, aut etiam lanas, vepribus, inter quos oves pasci solitæ, frequenter annexas, quæ, volitantes in aëre, unà cum pluvia, ceu lanæ conglobatæ, ferantur in terram. *Meur. p. m. 470. Fromond. Met. lib. 5. cap. 6. Art. 3. p. m. 401.*

§. 95. Vitulum, quò *Avicennâ* teste, pluvisse fertur, turbine fortassis aliquo è monte pascuo abreptum, atque in proximas convalles dejectum fuisse, sibi persuadent. Quod de lapide *Anaxagoræ* asserit *Berigardus in Circulo ad lib. Meteor. Arist. p. m. 579.*

§. 96. Muribus, ranis, piscibus, erucis pluere putant, quando cum pluvia è cælo in terram delabi videntur, quum tamen, vel turbinum vi, è montium piscinis, aliisque locis abripiantur. *Meur. p. 503. Magirus p. 36. Coll. Conimbr. p. 61.* Vel in aërem usque calore solis prius pertrahantur. *Alst. Encycl. p. m. 497.*

§. 97. Talem quidem vim, vehementi elevationi aquarum, procul dubio à ventis caussatæ, adscribere mavult *Albertus Kyperus l. cit. Crediderim*, inquit, *ego ipsa animalia integra vehementi, & quasi simultaneâ elevatione aquæ sursum trahi. Hocque à multis fide dignis, mihi relatum est, accidere quandoque in mari, ut integra cymbæ, aut minutule naves, unâ cum hominibus aliquando sursum aliquò usque evehantur, atque istorum unus sanctè jurabat, se, cum è loco uno, in India, navigaret in alium, in tali periculo fuisse.*

§. 98. Lignis, metallis, lapidibus, coctis lateribus, cinere, creta, terreis glebis, & quæ ejusdem Generis sunt, quando pluit, è montium jugis ventorum impetu, in altum extolli, posteaque projici, rationi consentaneum esse existimant.

Secunda Affirmativa duplex.

§. 99. Qui verò pluviam prodigiosam Meteorum esse existimant, (hoc scilicet sensu, ut res prodigiosa æquè in aëre, ac guttulæ pluviales, generata sit, etsi Denominatio meteori à solis guttulis fiat) aliter de animatis, aliter de animatorum partibus sentiunt.

Prima De inanimatis Et Animatis integris.

§. 100. Animata cum inanimatis eodem censu habent, & utraqve propriè talia esse, qualia apparent, judicant. Itaque ferrum in aëre generatum, cum ferro subterraneo; Ranam in sublimi genitam, cum ranis fluminum, prorsus convenire dicunt.

§. 101. Hoc ipsum de ranis quidem, testatur sæpè citatus *Schottus in Phys. Cur. p. 848. Nec solum, ait, ex pulvere pluviali aquâ consperso, nascuntur rane, sed cum ipsa subindè pluvia decidunt, in nubibus generatæ. Testes habeo, pergit idem, oculatos, viros fide dignissimos: imò & oculos meos.*

§. 102. De modo, quò res prodigiosæ pluvix in alto generentur, hanc fovent sententiam, eamque geminam. Vel enim omnium semina radiis solaribus evehi, virtuteque aëris, non secus ac in his inferioribus, perfici: Vel in aëre jam tum, & nubibus tales esse habitus, omniumque mixtorum semina, vim *πλαστικὴν* habentia, reperiri defendunt. Ad ranarum etiam, aut piscium procreationem, Naturam non semper indigere semine, sed sufficere interdum aquam genitalem, cœlesti calore
con-

condensatam, affirmat *Scalig. Exerc. 323. p. 1027.* Eaque de causa, in aquis pluvialibus, facilius ac in fontanis, vermes generari concludunt.

§. 103. Imò dicunt ut alia mixta, sic gyrinulos ranarum, ex vapore & exhalatione posse in aëre concrefcere *Magirus p. 360. From: Met: lib. 5. c. 6. art. 4. p. 402.* Nubium aquis siderum afflatu pisces gigni, ab ipsisque nubibus postea demitti ex *Isidoro lib. 13. c. 12.* recenset *Majol. in Coll. p. 366.* Ranarum in aëre generationem, ad actionem caloris & frigoris, ex variâ commistione Elementorum, refert *Meur. in quæst. Meteor: p. 503.*

§. 104. Ferri aliorumque metallorum pluvias fieri asserunt, cum vapores metallici, vehementi siderum caliditate: Saxorum verò & lapidum, cum terrestres exhalationes in aëre indurantur. *Magirus p. 360. Alst. Enc. p. 479. Meur. p. 468.* lapides gigni pronunciat, in mediâ aëris regione, ex terrenis materiis, cum vehemens, per antiperistasin, frigoris & caloris fit conflictus.

§. 105. Ignitis autem lapidibus pluere autumant, quando iidem aut agitatione & motu suo, aut siderum planè singulari virtute, calefiunt.

§. 106. Materia verò terrestri, calore solis admodum defecata & repurgatâ, cretæ pluviam contingere, demonstrant *Meurer. & Magirus cit. l.*

§. 107. Partes verò animatorum corporum, proprietalia non esse, qualia videntur, judicant.

§. 108. Hinc aquam lacti aut sanguini, colore solummodò similem; Carnem quoque in speciem tantum decidere, non verò genuinum lac, non verum sanguinem, non carnem animalis depluere, contendunt.

§. 109. Itaque ut ad singulas quoque species descendamus, sanguineam pluviam fieri, pronunciant, cum calor Solis ita percoquit vaporem, ut rubescat. Sicut urina, præcipuè ferri laborantium, lixivium & lateres cocti, nimia calefactione rubro colore tinguntur. *Vid. Garcaum. p. 94. Meur. in Meteor: p. 465. 466. Magirum p. 359. Alst. p. 479.*

§. 110. Frustra sanguinis ad intensiorem solis calorem, referunt;

*Secunda
de partibus
Animatorum.*

Eorumque figuram lusui Naturæ, non secus ac in grandine fieri putant, attribuunt.

§. III. Carnem pluere opinantur, quando crassa quædam, præpingvisque vaporum Materia, ardore Solis ita subacta, ut speciem carnis præ se ferat, decidit. Quem in modum fermè de carne fossili philosophantur, cujusmodi frustra ad vallum Erfordicum, juxta portam D. Andreae, occasione valli in altiore molem extollendi, haud exigua olim eruta fuisse, narrat *Andreas Libavius*, apud *Jonst. in Thaum: Nat: p. 180.*

§. II2. Pluviam lacteam, singulari Solis æstu, vaporem aqueum ita excoquentem, ut ad summam puritatem perducatur, adscribunt; atque sic humor adumbratam saltem & apparentem lactis formam habet. *Coll: Conimbr. l. cit. p. m. 60.*

§. II3. *Berigardus in Circulo ad lib. Meteor. Arist. p. m. 578.* ubi pluvias prodigiosas ad vaporum & spirituum commistionem refert, de pluvia lactea, ut & sanguinea, hæc pronunciat: *Spiritus Benivini aquam candidulam reddunt, similiq; ratione fortassis dicitur pluuisse lacte, sicut & mistione halitus chalcantini, pluuisse sanguine. Cum aër ergo refertus est multis vaporibus, si spiritus accedat, aptus ad resolvendam hanc mistionem, rursus vapores coeunt in unum, & cum spiritu sibi familiari labuntur in terram, quibus si junguntur decolorationes quædam, ex aliqua contagione terrenâ, & aliâ Naturæ, quæ requiruntur ad pluvias prodigiosas, decidit aliquid simile carni, lapidi &c.*

§. II4. Atque hæc sentientibus pluvia prodigiosa non prodigium propriè loquendo, sed meteorum est concretivè consideratum & accidentaliter ab aliis diversum.

§. II5. Atque adeo vidimus plerasque plerorumque de prodigiosis pluviis iisque in specie quoque consideratis, sententias. Reliquum est, ut nostram quoque adjungamus, quod quidem in explanatione subjunctæ Definitionis, convenienter fieri posse, nobis pollicemur. Sit itaque

CAP. III.

TRACTATIO DEFINITIVA.

§. I. Hactenus aliorum exposuimus sententias; nostram docebit resolutio Definitionis pluviae prodigiosæ.

§. 2. Eam

§. 2. Eam autem hunc in modum analogicè efferimus: Pluvia, prodigiosa dicta, est pluvia, quæ vel à DEO, vel à Diabolo, vel à Natura provenit, rebus perindè animatis ac inanimatis, ab aqua tamen diversis, constans, & (quoad præcipuam speciem maximè) in divini nominis gloriam, hominumque commonefactionem.

Definitio analogica.

§. 3. Genus est pluvia. Hoc verò etsi ad guttas pluviales, quas prodigiosa cum qualibet aliâ pluvia communes habet, potissimum spectet; rem tamè prodigiosam ipsâ concernit quoque, non quidem ratione essentiæ sed productionis, ut scilicet illa æquè ac pluvia quælibet in aère debeat esse producta, & ex aère ad nos delapsa. Faciet hoc ad distingvendum infra pluviam ejusmodi naturalem veram ab apparente, §. 16.

Resolutio.

§. 4. Forma sive Differentia Specifica sumitur à tribus Causarum Generibus 1. à Causa Efficiente. 2. Materiali. 3. Finali. De singulis in subsequ. seorsim.

§. 5. Quod itaque Causam Efficientem attinet (ab ea enim omnis pendere dicitur lis) rem per particulares propositiones planam fieri posse existimamus. Natura enim, præsertim si cum naturata jungas naturantem, longissimas habet manus, & rem eandem, aut similem, diversis modis producere consuevit. Hinc propositio una universalis de una tantum causa minùs tutò; plures particulares de pluribus causis, certius hic formantur.

Causa Efficiens.

§. 6. Dicimus itaque

I. Quædam supra Naturam producitur, & verè est prodigium.

De C. E. propositio particul. primâ.

§. 7. Atque sic DEUS est causa hujusmodi pluviae, sive solitariè operetur, sive causas naturales ultra Sphæram activitatis suæ extollat, cumque iis concursu suo speciali agat.

§. 8. Itaque, si quando verus sanguis, si quando genuinum lac & caro animalis decidit, id prodigium certissimum esse, nulli dubitamus.

§. 9. Hinc verum lac, vi solis, ex uberibus animalium extrahi, posteaque depluere, negandum est, quum omne, quicquid ex animalium uberibus attrahitur, aliud esse non possit, quam

quam

quam vapor aut halitus, qui non æquè in hoc mixtum corpus, ac in aquam in aëre redigi ac resolvi potest.

§. 10. Crucibus verò sanguineis, quando teste sup. cit. *Cardano lib. 16. subt. p. m. 569.* pluit, prodigio accidisse sentimus.

§. 11. Ad fila enim, ad crucis formam texta, illud cum Cardano referre, neque *Fromondo lib. 5. Met. cap. 6. art. 3. p. m. 399.* neque nobis placet.

§. 12. Alii, quibus & hoc, prodigiorum numero eximere animus est, perhibent, mediâ in parte, majori mole coherere incidentem humorem, per extrema autem in crucium formas dissilire. Verum, cur non exhiberet stellarum, Solis, aut alterius rotundi corporis figuram?

§. 13. Dicimus

*De C.E. pro-
positio par-
tic. secunda.*

II. Quædam præter Naturam fit, & est apparenter prodigium.

§. 14. Hujusmodi pluviarum causa præternaturalis est Diabolus, qui ex permissione Divina, per modum prodigiorum, homines fallere, idololatriam ac superstitionem confirmare his mediis consuevit. Dicimus: *Causa præternaturalis.* Supra naturam enim operari, potentia divina est; Diabolus verò, ex concessione Divina, causis naturalibus præter, non autem supra naturam uti potest. Aliàs enim miracula propriè dicta facere posset, quod esset crimen læsæ Majestatis divinae.

*De C.E. pro-
positio par-
tic. tertia.*

§. 15. Dicimus

*Distinctio in
naturalem
veram, &
duas appa-
rentes.*

III. Quædam Naturaliter generatur, & est verè contingens rarò, atque apparenter prodigium.

§. 16. Hic tamen cautè distingvendum est inter apparentem & veram pluviam eatenus, quatenus prodigiosa est. Nimirum in verâ res prodigiosa debet tum delabi ex aëre unâ cum guttis pluvialibus, tum generari in aëre. Horum requisitorum alterum ubi deficit, ibi pluvia est apparens, in quantum est prodigiosa. Hinc tribus distinctè propositionibus geminam apparentem, & unam veram proponemus.

*Apparens
prima.*

§. 17. (1.) *Res quarundam pluviarum prodigiosa, planè non ex aëre decidunt, sed in his terris apparentes, pluviam prodigiosam mentiuntur.*

§. 18. At-

§. 18. Atque hinc meritò ad experientiam Illustris Peirescii, quã pluviam sanguineam, ex sublimiori Meteororum ordine, ad feces & excrementa insectorum relegat, respicimus. Eam vero, ut probet, hæc semper ita fieri, sufficientem esse, haud opinamur; Cum & rubicundam & in speciem sanguineam nonnunquam esse pluviam, tradituri simus infra §. 33.

§. 19. Dicimus tamen aliquando argumentum Peirescii negligendum non esse. Imò affirmare audemus, simili processu Naturam, lacteam nonnunquam pluviam, in speciem scilicet generare; ceu jam supra innuimus Cap. 2. §. 86. Imò multò faciliùs album colorem in terra invenit, quò guttas pluviales tingat. Nam quotidiana docet experientia, animata pariter ac inanimata corpora, lactei aut candidi coloris sudorem aut humorem emittere: Si itaque ab excrementis erucarum ad pluvias sanguineas liceat aliquando argumentari; quid impediat, quò minùs à sudore candido & veluti lacteo, ad pluviam lacteam nonnunquam valeat consequentia?

§. 20. Ranas verò dulcedine aquarum pluvialium sæpiùs adduci, ut suis relictis latebris, catervatim profiliant, & ita depluisse videantur, concedimus. Idem enim lumbricos facere patet ad oculum.

§. 21. Quod autem ex putrefactione oriuntur aliquando, neque nos inficias ire possumus. Si enim alia animalia: e. g. Mures, cessante inundatione in Ægypto, Teste *Plin. lib. 9. Nat. Hist. c. 58. p. 169.* Culices, teste *Schotto in Phys. Cur. p. 849.* Volvoes, teste *Digbæo Demonstrat: immort. an. rat. p. 215. ed. in fol.* aliaque animalia, ex putredine oriuntur, hanc quoque originem ranis adscribi posse, veritati non repugnat.

§. 22. Adde, eas in pulverulentis locis observatas fuisse, uti testatur *Cabeus cum Schotto cit. l. p. 848.*

§. 23. Metalla & lapides, multitudine aquarum hinc inde defluentium, à sordibus, ut visui postmodum exponantur, purgari posse, nemo negabit.

§. 24. Dicimus: (2.) *Res quarundam pluviarum prodigiose, ex aëre quidem decidunt, sed in eo non sunt generatae. Aut enim virtute Solis attrahuntur, aut per vehementiam ventorum in sublime abripiuntur; abreptæ decidunt.* Apparens
Secunda.

D

§. 25. Sic



§. 25. Sic lanâ quando pluit, nec non piscibus, muribus, erucis, annonâ, lignis, auro, argento, ferro, lapidibus, lateribus coctis, cinere, creta, lutea terra, & quæ ejusdem Generis plura sunt, id ventorum & turbinum vehementiâ, accidisse statuimus.

§. 26. Quod eequidem probant 1. Historiâ, quæ summo ventorum impetu, atque turbinum non minori vi, ejusmodi rebus pluissè, narrant. 2. Idipsum non procul à montibus accidisse referunt. Ut taceamus alia.

§. 27. Consentimus itaque cum Cardano, qui *lib. 16. Subtil. p. m. 568.* hæc ipsa ventis adscribit: *Quæ verò, inquit, ventorum ira sunt, admirationem pariunt: Et p. 569.* pergit: *Nihil mirum, ubi pluit rebus ab aquâ diversis, si causas spectes; Nam non nisi in magnis ventorum motibus ista contingunt.*

§. 28. Sic nostro seculo in Orbe novo, in Gagona valle, tantum procella invaluit, ut eradicatis, inque sublime elatis arboribus, lapidibus, pluvie prodigiosæ ingruerent. Id habet *Petrus Martyr in Summario Indico.*

§. 29. Sic in Coloniensi Ecclesia, mota procella, lapides insignis sanè magnitudinis, dejecit. *Krantz: Sax. lib. II. Cap. 25.*

§. 30. Ventorum autem tantam esse vim, quæ graviora quoque corpora secum abripere valeat, præter comprobationem sensuum, testatur exemplum Cardani, quod in re hac, seria licet, risum tamen facile excitare potest. Dum enim ille Apenninum eqves transfret, subitus ventorum turbo, pileum illi abripuit, ac velut Sagittam è scorpione emissam, detulit cum impetu, parumque abfuit, ne portenti vice decideret cum pluviam, in proximas villas. Transtulit & equum cui insidebat, ad plures passus, ut ferme præcipitaretur. *Cardanus lib. 16. Subtil. p. m. 568. 569.* Si fuisset ibi exercitus hominum, & omnibus vel multis, eodem impetu, turbo pileum abripuisset, & asportasset in villas, ad montis radices positas, jurassent rustici, pileis pluissè, nec defuissent, meo quidem judicio, historici, qui id libris suis consignassent. Majus miraculum fuisset, si eqvite aut eqvo simul pluisset.

§. 31. Simile quid imaginari nobis possemus in illo, si pluvia fuisset juncta, quod *Cabaus lib. 5. Meteor.* narrat, contigisse Man-

Mantuae, circa annum 1618. Ventum nim. vehementissimum, inter alia abripuisse mulierem, lavantem pannos, ad lacum, & per aëra longissimè asportasse.

§. 32. (3.) Dicimus:

Res quarundam pluviarum prodigiosæ, in aëre, non secus, ac Naturalis vera. Meteora, generantur & deorsum feruntur.

§. 33. Ubi sanè cum illorum opinione, qui idem supra statuere, planè convenimus. Præcipuè autem huc referimus ea, quæ in speciem talia sunt, qualia esse videntur. Sic pluviam, quam vulgus sanguineam esse dicit, humore aliquò rubrò, vaporibus è terra rubra elevatis, aut miniò tinctis, concretò, & in aquam resolutò, aliquando, imò sæpius in aëre generari, probabile esse censemus. Idem, cum *Schotto* de lacte sentimus. Et cum *Fromondo* cretaceis exhalationibus adscribimus. *L. V. Cap. 6. p. 401.* Atque Hic sanguineam pluviam sic fieri posse, probat per simile Naturæ pigmentum, cum in Armenia, ab halitu minii permixta, rubræ nives aliquando decidant; Cujus rei testem citat *Eustat. Iliad. λ.* Vid. quoque *Garc. p. 94. Meur. p. 465. 466. Colleg. Conim. in Meteor. p. 60.*

§. 34. Neque hîc, sanguineam quod attinet, obstare potest, quod *Illustris Peirescius*, eductum è rosis rubeis vaporem, in limpidam aquam concrecere, affirmat, indeque concludit, vapores, è rubrà terrâ in sublime evedos, nullum agnoscere colorem, nisi candidum. Unde enim constat, Naturam Chymicam esse? Probabile potius est, non omnem semper, ab extractis vaporibus, segregari Materiam, sed remanere terrestre quid, quod pluviam tingere, facillè possit.

§. 35. De lapidibus, aliisque magni ponderis corporibus, diximus §. 25. hujus capituli. Neque verò generationem in aëre, facillè quis attribuerit iis, cum actione Physicâ, quæ non in instanti, sed potius successivè fit, generentur, & per tantum temporis spatium, usque dum perficiantur, non possint, propter insitam gravitatem, in libero aëre sustineri.

§. 36. Nisi verò cum *Fromondo p. 402.* (saltem aliquando & rariùs) possumus asserere, statim ac Materia densari incipit, eam delabi, & celerrimò Naturæ opere in ipsò casu absolvi. Quod in totum negare, non audemus.

§. 37. De animatis verò in contrarium sentimus. Si enim in aëre fuissent generata 1. Materia sese tanta, ranarum, murium, pisciumve multitudini conveniens, in aëre ostendisset. 2. Tecta quoque & cacumina ædium constravissent. 3. Semianimes decidissent. Cujus contrarium Exempla allegata demonstrant.

§. 38. Mallem itaque animata Meteororum ordine eximere. Juxta dicta §. 25. Atque hæc de causa Efficiente.

Causa Mat.

§. 39. De Materiali ex antecedentibus simul constat, eaque secundum varia pluviarum hujusmodi Genera, ipsa varia est. Vid. hæcenus dicta. Definitio quidem, de constituta potius, quam constituenda pluvie prodigiosa Materia loquitur, quam animata perinde ac inanimata esse dicit. Atque hujusmodi, pluvie etiam miraculosæ, scil. constitutæ, omninò inest; etsi ut constituenda absque Materia à DEO produci possint.

Causa Finalis.

§. 40. Superest Finis, qui vel primarius, & est gloria DEI; Vel secundarius, & est hominum de futuris commonefactio.

§. 41. Primarius est universalis, & in omnibus talibus pluvie rectè ac piè statuitur, & si in Diabolicis, non ex intentione causæ secundæ, ex directione tamen causæ primæ. Secundarius est particularis & divinis ac miraculosis pluvie propriè vendicandus; Etsi naturalibus naturalem significationem non denegemus. Sed hanc, cum aliis pluribus rebus naturalibus, quæ prodigia nunquam dictæ sunt, habent communem, & ab iis raritate potius, quam naturâ differunt. Hinc tales pluvie ordine etiam prodigiorum propriè dictorum exclusimus. Pertinet enim huc illud Ciceronis de D. 121. *Nec, si id factum est, quod fieri potuit, portentum debet videri. Nam, si quid rarò sit, portentum putandum est, sapientem esse, portentum est.*

Eventus.

§. 42. Qui verò eventus & quæ mala pluvie verè ac propriè prodigiosas subsequuta sint, *ὡς ἐν τόπω* ostendemus.

§. 43. Sanguinis pluvia, crudelitatem, immanitatem & tyrannidem futuram prænunciat, uti testatur cædes Tatii, Mors Pontificis Hadriani II. Cujus mentio c. 2, facta est §. 5.

§. 44. In-

§. 44. Indè *Hom. Iliad. λ. vers. 59. p. m. 372.*

— — Κρηίδης κατὰ δ' ὑψόθεν ἦκεν ἕερος
Ἄμαλι μυδαλέας ἐξ αἰθέρος, ἔνεκ' ἔμελλε
Πολλὰς ἰφθίμης κεφαλαῖς αἰδι περιάψει.
*Saturnius ab alto demisit rores
Sanguine madidos ex aethere, eò quod erat
Multa generosa capita Orco demissurus.*

§. 45. Frustra sanguinis, crucesque nihil boni indicare, vel cœcus videt. Observatum quoque est, circa idem tempus, quò hæc contigere, varias & atroces calamitates, longò tempore genus humanum afflixisse; In toto enim terrarum orbe, bella, fames, pestilentia; Ecclesia vero Christi multiplicibus fuit inquinata superstitionibus. Vid. *Wolf. in Mem. Tom: 1. p. 189.* Cruces tamen, tempore Constantii in vestes delapsas, aliqui etiam ex Christianis in meliorem partem interpretabantur, doctrinam scilicet Christianam esse cœlestem, oportereque, omnes signo crucis obsignari; apud *Sozom: p. 622.* Quem in modum Christiani quoque characteres crucis, in saxis everfi Serapidis templi, observatos, Symbolum & signum Christianæ religionis esse, contra Græcos statuebant, apud *Niceph. L. XII. c. 26. p. 620.*

§. 46. Carnis pluviam cœdes, seditiones, incursionem & irruptionem externarum gentium designasse Veteribus, ex *Liv. potest probari, p. m. 99. Ubi carnis pluvia decidisset, libri per Duumviros sacrorum aditi & inter cetera monitum, ut seditionibus abstineretur. p. m. 461.*

§. 47. Lactis pluvia, omnium rerum, ex fecunditate soli provenientium, significare abundantiam traditur.

§. 48. Lanæ, ventos significare, multi statuunt. Attamen Titii Annii Milonis mortem, pluviam lanæ præcessisse, ostenditur, juxta §. 18. c. 2.

§. 49. Pluviam coturnicum, in c. 2. §. 23. subsequuta est plaga magna. Vid. *Num. XI. 33.* Illa autem copia per iram DEI fuit demissa juxta illud tritum ex Augustino: *Multa concedit DEUS iratus, quæ negat placatus.*

§. 50. Piscium pluvia, prodiones præsignificat; Accidit enim ortis ventorum procellis, quæ per se prodiones portendere creduntur.

§. 51. Annonam omnium rerum expetendarum, ad victum tamen pertinentium, subsequi copia dicitur.

§. 52. Pluviâ lignorum, de qua *cap. 2. §. 45.* mihi quidem DEUS videtur indicare voluisse incolis dementiam, quam idolatriâ suâ committerent, quod quidem circumstantia temporis explanat. Eo enim tempore, quo ejusmodi ligna pluit, Imperatrix Irene, ejusque filius Constantinus, celebraverunt concilium, pro defensione statuarum & simulachrorum in templis. *Wolf. in Mem. T. 1. p. 204.*

§. 53. Metallorum Pluviâ, cædes & prælia portendunt.

§. 54. Lapidatio quoque nonnunquam bella præcedit, uti in Thracia accidisse legimus, *cap. 2. §. 53.* Ubi in Italia lapis iste, miræ magnitudinis quem introducimus §. 55. *cap. 2.* decidit, maximi id factum & præcessere & secuti sunt, propter diversas Pontificum electiones, motus. *Wolf. in Mem. Tom. 1. p. 265.*

§. 55. Cinerem incendiorum & conflagrationum significationem dare, existimo. Exitium quoque Atheniensium præcessit ejusmodi pluvia *cap. 2 §. 67.*

§. 56. Cretâ, ubi pluit, fruges tempestatesque bonæ promitti dicuntur.

§. 57. Iram verò suam, tum præcipuè, execrandâ pluviam, indicavit DEUS, quando sulphur & ignem pluit, super Sodomam & Gomorrhâ de cælo, subvertitque civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium & cuncta terræ virentia, excepit interitus gemendus. Nunc autem,
piè ejus recordando nostras Theses

exoptatus

F I N I S,

Ad

Ad
Præstantissimum
DN. RESPOND.



U quia naturæ penetras mysteria, &
inter
Arcana ingenium claustra polire so-
les, (cludet,
Clarus Apollo Tibi quoque mox sua sacra re-
Et per inaccessas Te volet ire vias.
Maecte tuis studiis & honori maecte futuro,
Utilis & Laurus sit Tibi, sitque tuis.

Joh. Ittigius, Phil. & Med. D.
Phys. Prof. Publ.

Ad Dn. Resp. Magist. Laureæ Candid.

Mox, hieme hæc, vireas. Sed quâ ratione? rigavit
Prodigio similis Ros Helicone Caput.
Gratul. ex animo f.

PRÆSES!

Perfectum Trinum Pietas, Moresq; Minerva
Heredis, Patrem per secula vivere fingit.
Sic valet ecce Absens! hic floret filius Ipse!
Æternum per Te florescant Trina parentis,
Primus fortunet tua prima exordia Trina!

*Hoc mittebat Amico suo integerrimo
Dn. Respondenti,*

Christianus Heinrichus Elsens
berger / J. U. Lic.

Ado

CABALA.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 20 30 40 50 60 70
A B C D E F G H I K L M N O P Q

80 90 100 200 300 400 500.

R S T V X Y Z.

2. 9. 90. 90. 5. 80. 9. 100. 1. 20. 2. 5. 80. 100. 50. 30. 1. 7. 40. 50.

DISSERIT ALBERTO MAGNO

90. 200. 2. 60. 80. 1. 5. 90. 9. 4. 5. 9. 1. 8. 90. 200. 90.

SUB PRAESIDE JAHNUS.

Summa 1667.

Sonnet.

S Drecht/ vertrauter Freund / Du wirst den Preis empfangen /

Den Pallas schon vorlängst hat selbst zu gedacht /
Dem unverdroßnen Fleiß / dem Fleiß der Tag und Nacht

Gewendet worden an. Du hast wol angefangen.

Fahr immer also fort. Ich sehe dich schon prangen

Mit wolverdienter Ehr. Die Schaar der Musen lacht.

Ob schon das wüste Volk den Ehrenstand veracht;

Dazu doch nimmermehr die Bosheit wird gelangen /

Weil solche Phoebus hast. Jetzt laß beherzt uns hören /

Was dein Kiel mit Bedacht vernünftig aufgesetzt;

Es soll / wiewohl es nicht in harten Stein geekt /

Der Kost der stillen Zeit dasselbe nicht verzehren!

Ich wünsche so viel Glück / als Hybla Kräuter hegt;

So viel dein Vaterland der guten Fische trägt.

Seinem vielwerthen und Brüderlichen Freunde

ein Zeichen der Schuldigkeit blicken

zu lassen / verfertigte dieses

Daniel Francke / Magister.

Candid. & SS. Theol. Cultor.

35(0)58

01 A 6547

f


ULB Halle 3
 003 090 396




TA => OL

W 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

24.

13

ocio Jesu Tuente

TATIONEM
CO-PHYSICAM
DE

PRODI-
OSA,

Philosophicâ, inclytæ
ademiæ, indulgente,
RÆSIDIO

I R I

q. Excellentissimi

NTINI ALBERTI,

P. Facult. Philos. Assessoris, &
ginis Collegiati, dignissimi,
meritissimi,

ustoris, ac Præceptoris sui,
onoris cultu prosequendi,
uditorum Virorum examini
bmittit

UGUSTUS JANUS,

is, Magisterii Candi-
s, A. & R.

e Cal. Januarii.

Chr. M DC LXVII.

Q. C.

PSIÆ.

IS ERICI HAHNII,

